

fit, eumque adeo, qui illi refragatur, conscientia inuita repugnare. Num, si talia de me credis, Praeful caetus cuiusdam christiani, legem Christi, et charitatis imples? quae omnia sperat, omnia fert? Quatenam autem id Tibi persuasit de me ratio, quae via ratiocinandi? Credas mihi, Cardinalis, me omnia, quae scripsi, summa animi mei conuictione pro verissimis habere, iisdemque tamquam longe certissimis adhuc inniti; quae si desererem, improbus perfidusque essem. Nulla igitur est ratio, cur me odio habeas, me, qui omni veneratione, dignitati et meritis Tuis debita, Te suspicio. Probat hanc indolem mentis ipsa scriptio meae ratio in *observationibus*, quae nihil continet, quod dignitate Tua, qua emines, indignum sit; sed maiori potius de Te loquitur submissione, quoties Tui erat mentio facienda. Nec spe, nec metu me inductum esse, qui id fecerim, facile credes, quum par pari referre sine omni rerum mearum detrimento possim, nec praemia, nec dona abs Te sperem vlla. Sed vere ita sentiebam, et, quae cogitabam, libere eloquebar. Veritatem amo, eamque omnibus mundi thesauris antepono; quare et splendor dignitatis Tuae mentem meam obnubilare non potuit, quin veritatem, cui Tu contradixisti, defenderem. Quamuis enim Te colam, ac merita agnoscam Tua, et quamvis ab ea opinione graues in famam meam Tui impetus me non abducant; illo tamen a vinculo non absoluo, quod me cum veritate coniunxit.

Id me publice iam profiteri iubet, Te in scripto, quod ad me misisti, in quo tam Rothfischerum nobis amatum, quam me, alia, quam credimus docere voluisti, veritati maximum intulisse detrimentum. Ut mei defensionem breuibus suscipiam, patiaris me monere, id mihi propositum fuisse in *Observationibus ad Pauli Pontif. litteras*, ut ostenderem, eas non magis Euangelicas esse, quam concilium Tridentinum, imo fraudibus abundare, quas veritatis amans cauere debet. Placuit ergo Tibi in hac *epistola Tua hortatoria* (quod quidem Te iam peregisse credis) vno ictu me velle prosternere, et quasi vno impetu omnem vim argumentorum meorum euertere. Tela depromis ex primis mei libelli lineis, in quibus me attulisse dicis, summe Venerabilem *Feuerlinum*, Goettingensem theologum insignem, in eadem mecum esse sententia, nimirum ex litteris *Pauli III.* doctrinam euangelicam Catholicorum de meritis Christi probari non posse. Credis, Te in epistola Feuerliniana confirmationem inuenisse Tuae adsertionis, quam me subdole omisisse, et ea propter a fide et probitate defecisse, exclamas; quamuis, si necessarium

B

rium